

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 13 (Postquam Fortuna
pestifera, que certo certius...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 13 (Postquam Fortuna
pestifera, que certo certius...)*

Postquam Fortuna pestifera, que certo certius est incerta, constanter inconstans et fideliter infidelis, infallibiliter fallax, immobiliter mobilis et incorruptibüiter corruptiva, que frequenter solet in hominibus perniciose ludere, clientesque suos monstruoso prestigio multiformiter protheare, de divitibus reddens pauperes, de sublimibus humiles et de potentibus impotentes, convertens eis crebrius lucem in noctem, plausum in planctum et gaudium in merorem, fundens pridem in orbe diluvium et incudens terribilem terre motum, quibus exterminavit excidiis non minimam eius partem, me licet pusillum a precipicio illius ruine non excepit, quin, ut vestra forte discredo non ignorat, de claritatis specula mergeret in puteum tenebrarum. Non enim mirum, si fui dudum attonitus et si diu iacui stupefactus pre nimie calamitatis angustia meis sensibus hebetatis. Quis enim tot pestilentias et tot clades, quis tantas illius temporis, tempestates, quis horribiles cedes, quis gencium strageu innumeras occisorum lingua vel voce sufficeret enarrare? O magne Deorum Deus, cur ita dormis aliquando, cur iniquos actus hominum inferius equitatis oculis et iusticie tue non respuis? Cur eos indiscrete Fortune casibus derelinquis? O crudelis et tyrampna Fortuna quid impetu repentino confundis omnia subiungens, tristia letis, adversa prosperis et concludens dulcia cUm amaris. Quid omnia tibi subiecta varias, quod in eodem statu nunquam diucius perseveras? Nunc autem nihilominus virtute quadam in precordia redeunte resumpto spiritu; non abs re paululum et aliquam hauriens auram spei, quod dea omnipotens ipsa, que fert refertque vices, que fixa manere nescit ullatenus aut etiam otiosa, suas rotas accelerat ad regressum et ut interdum a terra suscitans inopem et erigens de stercore

pauperem cum principibus eum locat, ad relevandum iacentis nostri lapsum porrigat suam manum et integrum restituat me in statum apertis oculis tristicie nebulis aliquantulum dissolutis me, si Deus annuerit, rebus sicio servare secundis, dolorum impugnationibus repugnare, suspendere suspiriorum frequentiam et luctui reluctari. Ut igitur ab inundationibus instantium erumpnarum queam distrahere commodius intellectum et mentem meam, curis incurrentibus obicem interponere presertim alicuius recreabilis leccionis vestram discretionem, cui me totum precordialiter offero in anima, carne, ossibus et medullis ad omne vestrum servitium et honorem, rogo propensius, quoad possum, quod librum Titi Livii, si forsitan habetis eum vel alias historias Romanorum, quas pro certo comperi vos habere, mihi per dies aliquot hilariter commodetis, quod, si posset esse, propterea fiam de vestro vestrior et devocior de devoto, dum ex hoc et delectacionis flosculos colligam et utilitatis aliquos in scientiam fructus sumam.